



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

5. De grauitate omissionis, vnde sit sumenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

est falsum. Secundo sequitur eum, qui in ebrietate tanquam in causa ualeat istas omissiones, nunquam incurrere istas malitias, quia præcepta non obligant, nisi eos qui possunt ratione uti: ergo non tenebitur quis conseruare usum rationis, ut obligetur. Tertio, quia præcepta omnes obligant, licet aliqui excusentur, unde cum ille hic non excusetur, uidetur uirtute agere contra obligationem ipsam, quod est peccare. Alii dicunt tunc aliquem incurrere culpam, cum directe præuidet, & intendit illas omissiones, propter rationem factam, non tamen si non præuideat. Sed neque hoc secundum uidetur consequenter dictum, nam in moralibus uoluntarium indirectum æquiualeat directo.

- X. Quocirca dico breuiter, eas omissiones esse malas, si aliquo modo uoluntariæ sint: quæ est expressa sententia D. Thomæ 1. 2. *question. 77. artic. 7. ad 7.* Adde tamen esse prudenter considerandum moraliter, quia ut istæ omissiones sint uoluntariæ indirectæ, oportet non solum esse præuisas, sed esse tales, ut præceptum obliget ad uirandam ægritudinem ne illæ sequantur: præcepta autem positua ad hoc non obligant, nisi quando omissiones proxime, & ueluti eodem tempore, moraliter loquendo, sequantur. Ex quo etiam efficitur, ut quando istæ omissiones non sunt directe intentæ, neque præuisæ, raro imputentur ad culpam, quia præcepta ista positua non cum tanto rigore obligant, ut propterea teneatur quis cum tanto rigore præcauere illa omnia quæ possunt impedire eorum executionem.

SECTIO V.

De grauitate omissionis, unde sit sumenda.

I. In hac re eadem omnino regulæ seruandæ sunt, quæ de peccato in genere supra *disput. 1. section. 2.* sunt positæ. Prima propositio. Specifica grauitas, & essentialis istius peccati ex obiecto est consideranda, seu ex materia circa quam uersatur: hoc conitat, quia hoc generale est in omni peccato. Et explicatur, nam directa uoluntas non faciendi quod præceptum est, ex re uolita habet specificam malitiam, & maiorem, uel minorem in illa specie: ergo, &c.

II. Secunda propositio. Grauitas huius malitiæ optime consideratur ex actu, quo omisio priuat, illa enim omisio grauior erit cæteris paribus, quæ opponitur meliori actui. Probat, tum quia propria materia, & ueluti obiectum omissionis est uirtus. Illa qua priuat, quia eum hoc peccatum sit quali pura priuatio, de se non potest habere proprium obiectum nisi ratione positui, tum etiam, quia priuatio ex forma, qua priuat, mensuranda est, & ideo hæc ratione supra diximus malitiam oppositam perfectiori uirtuti de se esse maiorem.

III. Sed contra docuit Alm. 3. *moralium cap. 26.* & Adam. in 4. *quest. 6.* & fundamentum est, quia si ex actu opposito pensanda esset grauitas omissionis, pura omisio de se non haberet certam malitiam, sed in infinitum maiorem, & minorem. Probat, quia ille actus contrarius est in infinitum remissibilis, & illa omisio est minus mala, quam quicumque actus posituius, licet in infinitum remittatur: ergo, &c. Sed melius confirmari potest primo, quia melior est actus, qui est in consilio, quam qui est in præcepto, nam ille potest esse actus heroicus, & tamē priuatio con-

traria non est magis mala. Confirmatur secundo. Nam grauius peccatum est non succurrere extreme indigenti, quam existenti in necessitate minori, & tamē illud primum uidetur minus bonum. Ad argumentum eorum respondeo in primis falsum supponere, quia forte actus non est in infinitum remissibilis. Secundo, quidquid sit, ille actus in quacumque remissione habet certam perfectionem specificam, & essentialem, quæ reperitur in quocumque actu quantumcumque remisso: ergo ponenda erit malitia puræ omissionis, ut sit specifica grauitas malitiæ. Ad primam confirmationem respondeo ex dictis, omnem malitiam debere habere rationem moralis priuationis, atque adeo debere esse carentiam bonitatis debitæ inesse, & ideo omissiones illarum bonitatum, quæ non sunt moraliter debitæ, non debent hoc loco numerari: supponit ergo conclusio positua omissionem esse malam, & de illa loquimur. Ad secundam confirmationem patebit responsio ex ijs, quæ infra latius a nobis dicenda erunt.

Tertia propositio. In grauitate omissionis consideranda etiam est obligatio, & vis præcepti, & legis præcipientis actus cui omnino opponitur. ita Almayn. *supra*: in quò sine causa improbatur à Thomistis, quia certum est esse grauius de se id omittere, quod à superiori distinctius præcipitur, quia est magis rationi dissimum. Confirmatur, nam licet ille actus de se non esset æque bonus, sicut alius, tamē eo ipso, quod à superiore sub maiori uinculo præcipitur, habet quandam maiorem rationem boni: ergo, &c. Idem præterea patet à simili in commissionem. Nam aduertenda est differentia inter ea quæ naturali legi, & positua præcipiuntur: in illis liquidem quo actus est de se in materia grauiori, eo præceptum naturale, quod in tali actu cadit, magis obligat: in præceptis autem posituius non semper ita est: & præterea in omissionibus, quæ his præceptis opponuntur, præter materiæ qualitatem consideranda est vis, & modus obligationis præcepti.

Quarta propositio. Etiam in omissionibus sunt consideranda alie circumstantiæ, & ideo non omnes omissiones oppositæ eidem præcepto sunt æque graues, quod etiam aliqui Thomistæ sine causa negant. Et patet, quia illa omisio morale quid est, & uel formaliter, uel uirtute includit actum uoluntatis: potest ergo esse uel magis, uel minus uoluntaria: & propter finem magis, uel minus malum, & sic de reliquis: ergo, &c. Ex quibus etiam colligitur in primis puram omissionem, cæteris paribus, esse minus peccatum, quam eam quæ est directe uoluntaria posituius.

Definitur deinde ex dictis alia quæstio, quam D. Thomas hoc loco omittit, sed tractat. 2. 2. *quest. 79. art. 4.* quod sit peccatum grauius omisio, an commissio? & respondet commissionem summam esse grauius peccatum, quam sit summa omisio, ut odium Dei, quam carentia amoris. Similiter respectu eiusdem uirtutis, ex suo genere, etiam commissio est peior omissione, ut hæresis, carentia fidei, & sic de alijs, & ratio est, est, quia commissio opponitur quodammodo contrarie, & ideo inducit maiorem inordinationem uirtutis; at uero in particulari loquendo de hac, uel illa omissione, & commissione, sæpe contingit omissionem esse grauiorem, ut per se constat.